Racc. Villarosa 4. 123

SYNODVS DIOECESANA NEAPOLITANA,

AB EMINENTISS. AC REVERENDISS.

DOMINO D. INNICO

MISERATIONE DIVINA


TITVLO S.CLEMENTIS PRESBYTERO

CARDINALI CARACCIOLO

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

In Metropolitana Eccleſia duobus feſtiuis diebus Sanctiſſimæ Pentecoſtes 6.& 7.Iunij.

Anno Sal.Hum.M.DC.LXXII.



Romæ,Ex Typograph. Reu.Cam.Apoſt. 1672.

Digitized by Google

146097 A4

Digitized by Google

In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Innicus Miſeratione Diuina Tituli S. Clementis S.R.E. Cardinalis Caracciolus Archiepiſcopus Neapolitanus.

Omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus Ciuitatis, & Diœceſis Noſtræ Neap. ſalutem in Domino.

CElebraturi, Domino benedicente, noſtram ſecundã Synodum Diœceſanam, omnibus ad quos attinet, propinquã huius celebrationem publicis de more literis ante omnia denunciamus: idque non ſolùm, vt, qui interuenturi ſunt, ſtatuto quiſque tempore pro ſua obligatione ad hoc ſanctum, & maximè ſalutare opus maturè conueniãt, ſed etiam, vt omnes felicem futuræ actionis euentum præmiſſis ad Deum precibus, & aſſiduis poſtulationibus continenter expoſcant; cum enim omne datum optimum, & omne donũ perfectum deſurſum ſit, & à Deo Patre luminum ad nos grata ipſius miſeratione deſcendat: neceſſe eſt, nos ipſos ad hunc ipſum gratiæ fontẽ magno ſtudio, conſtantique fide ſolicitos accedere. quod ſi, vt veritas docet, nihil ſalutare ex nobis tamquam ex nobis incipere, & perficere poſſumus, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt: profectò id maximè cõtingit, vbi de diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratione, deque commiſſi gregis incolumitate agere nos oportet. propterea nũc optãdum, petendumque maximè eſt, vt à primo omnium Paſtore Chriſto deſcendat in miniſtros ſuos copioſa benedictio ad videndum vtilia, eadẽque viſa vtiliter ſtatuendum. Igitur inuocato auxilio Dei Omnipotentis, per interceſſionem Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, D. Ianuarij, ac cæterorum ſanctorum, ſanctarumque omnium, ſecundam Diœceſanam Synodum ſolenniter indicimus, indictamque ad hanc noſtram Metropolitanam Eccleſiam conuocamus. vt autem ijs, qui iure, aut conſuetudine intereſſe debẽt, manifeſta, & legitimè cõperta ſit iſta conuocatio: neue aliquis prætexere poſſit ignorantiam, aut prætermiſſum, deſpectũque ſe dicere; omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat interuentus, præſenti Edicto in conſuetis locis multò ante expoſito, hanc ipſam voluntatem, & mandatum noſtrum ſignificamus, indicimus, denunciamus, præcipientes in virtute Sanctæ Obedientiæ ſub

pœnis canonico iure ſtatutis, vt omnes, & ſinguli, quorum intereſt, quique, vt ſupra, tenentur, die ſexta Iunij huius ipſius anni 1672. in prædicta Eccleſia Matrice hora 10. per ſe, & non per alios ipſorum nomine (niſi legitima cauſa à nobis examinãda, & probanda impediat) cum honeſto habitu clericali, & ſuperpelliceis mundis ad ſynodum celebrandam cõueniant; interea hortamur, vt promulgata conuocatione Synodi, in omnibus Ciuitatis, ac Diœceſis noſtræ Eccleſijs Parochialibus, vſque ad eiuſdem Synodi abſolutionem celebretur Miſſa de Spiritu Sancto, vel ſaltem oratio; niſi occurrentis feſti ſolennitas prohibeat, recitetur: vt indè nobis auxilium veniat, vndè omnis ſpes, & fiducia noſtra ſumit initium. In quorum fidē has literas manu noſtra ſignatas per Magiſtrum Actorum confici, ſigilloque noſtro muniri, & promulgari, noſtreque Metropolitanæ, & Parochialium maiorum valuis publicè affigi iuſſimus: quam affixionem, & publicationem eam vim habere volumus, ac ſi ipſis ſingulis, ad quos ſpectant, illæ allatæ, ac denũciatæ perſonaliter eſſent. Datũ ex Palatio Noſtro Archiepiſcopali die ſexta Aprilis 1672.

Ieſus

IESVS, MARIA.

ORATIO SYNODALIS.

QVod in natura, quod in arte, hoc in diſciplina, hoc in morum inſtitutione vſuuenire paſſim, & experientia docet, & comprobat ratio, Præſul Em. facit quippe ſementē agricola. an illico poſt iactum matura ſeges? imò verò diu latent defoſſa terris inoccata ſemina, tum erumpunt; ſed herbeſcunt primò: mox ſe paulatim attollunt, induūtque in calamū: multò poſt prolixa hyemis, atque æſtus opera ad maturitatem producūtur. ſic poſt longa dierum ſpatia: poſt alios atque alios naturæ allaborantis progreſſus eſt tandē meſſis in ſpica. Quid? domus vna aliqua quot molitionibus, & machinamentis, qua materiæ, & operarum præparatione, quanto negotio, ſumptuque fabrorū tandem eſt domus? profectò diuinum eſt, res etſi maximas, etſi maximè operoſas horæ momēto moliri. nos contra homunculi ex argilla, & luto facti vel in minimis egrē incipimus, tardè progredimur, nihil abſoluimus. vt penè totus artis humanæ cenſus, ac ſumma purum putumque rudimentum eſſe videatur. quam ob rem, optimi PP. neminem, credo, veſtrum mirari: quòd in Senatum hunc longè auguſtiſſimum non multum poſt tēpus, quod eo abfuiſtis, ſtudiosè reuocamini. nempè opus inter manus eſt oppidò ingens, difficile, laborioſum: inculpatæ nimirum vitę forma, exemplū ſanctiſſimæ diſciplinæ. an verò putatis vos, tam impeditā, tam implexam, tot ambagibus inuolutā rem vno, alteroue conuētu veſtro poſſe expediri? haud equidem opinor; cùm enim deliberare oporteat in concurſu, & varietate propè infinita temporū, locorum, cauſarum, euentuum, rerum omnium; nemo minus, quam amentiſsimus ſumit ſibi totius rei magnitudinem, ac tāti velut corporis vaſtitatem vno oculi contuitu diſpicere, mentis vna ratiocinatione complecti. hinc prudens illud, ſcitumque conſilium referendi ſæpè manum ad eandem tabulam: vt iam hanc, iam illam partem accurando, concinnandoque, ſi omni vitio carere pictura non poterit, at certè (quod eſt humanis in rebus ſummum, atque optimum) quam minimis vrgeatur. itaque huc ſpectat in primis à Maioribus inſtituta ſapiēter, ab iiſdem ſeruata diligenter, congruenter ad nos tranſmiſſa frequentia Cōmitiorum; etenim inter hæc inſtaurata crebriùs, quæ ſimul omnia prouideri non poſſunt, particulatim, & quaſi per ca-

pita ſectiuo quodam opere digeruntur, miniſtrante interim, vt fit, commodum experientia conſilium.eò igitur, PP. ſecundò conueniſtis,vt, quæ ſuperioribus comitijs in tanta meſſe vitiorum mala ſe remedio ſubduxere præſentibus hiſce, repetita diligentiùs opera,corrigantur. legimus nec paucas ſanè,nec vulgares reſpub. optimè à principio conſtitutas miſerabiliter corruiſſe;quibus vt alia multa, illud tamen ante omnia interitum creauit, quod perinde ac ſi curam omnē primi legumlatores exhauſiſſent, malis nouè inſurgentibus à nemine, vt par erat, nouis obuiam remedijs itum eſt. ſcilicet viderint priores noſtri multa,multis benè conſuluerint:ijſdem nec omnia videndi,nec ſatis omnibus conſulendi poteſtas fuit.enimuero docemur plurima tempore:plurima,quæ non offert ratio,caſus obtrudit.

Atque hæc ſi vera ſemper:cenſentur certè veriſsima,vbi rēp. inſtituimus præſtantiſsimam,perfectiſſimam,ſanctiſſimā,Chriſtianam volui dicere,& in hac ipſa eam præſertim partem,quæ dubio procul prima,ac præcipua eſt,hoc eſt, partem inauguratam,aſſignatam Deo,templis,ariſque dicatam. In hoc hominū genere, in ora, quod omnes nos ſumus, paruus nęuus inſignis nota ducitur,& plaga luculenta vulnuſculum. Neq; verò iſta ipſa eſt prorſus iniqua, aut nimis exaggerans æſtimatio; nam qui dignitate multò antecellūt cæteris hominibus, hominibus autem?imò verò Angelis ipſis:iure iubentur hominem exuere, ac præſtare ipſos ſe,tanquam,ſi fas eſt dicere,mortales Deos;ergo nihil humani conceditur ipſis propter appellationem; Diuinitatem cæterò totam imbibant,neceſsè eſt. Deo,cuius ſunt in intimis,ſic ſe imprimant, & propè dixerim, infigant, vt ab eo nulla voluptatis eſca,nullo alio mortalis illecebræ tentamento auellantur. Ad ſummam hoc ſibi initiatus quiuis ſuadeat, quæ virtus profano cuipiam abundè eſt,eam ſibi eſſe minùs quàm parum:erubeſcendum ipſi,in quo ſatis alij laudantur:quod alijs ſummum,ipſi principium eſſe. Verbum illud vetuſtiſſimum, in quo planè magna vis ſemper fuit,atque ſentētia, Vt ſe quiſque noſcat,neminem præſentiùs, quàm hominem à ſacris monet. Is quidem certè, modò ſe perſpiciat, ac totum ſe tentet, facilè ſenſerit ex ipſo muneris ſui ſtatu,dedecere,non dicam, improbum eſſe,ſed eſſe mediocriter probum. Quid? quod idem ipſe conſueto rerum præcelſarum fato in ore omnium,atque fama verſatur.Habet actuum ſuorum teſtem,eundemq; Iudicem populum,qui more ſuo,hoc eſt,iniquiſſimo, ſibi cuiuſcunq; nullius alijs delicti gratiam facit:malus æquè, & malignus, perſequens vitia,quæ ſequitur,carpenſq;eadem,vt exprobret,non vt

emen-

emendet. Quæ cum ita ſint, quam conſtans vigilantia opus eſt vobis, quorum tantoperè intereſt Eccleſiaſticæ rei dignitas, vt quà conſilio, quà ſtudio, quà etiam exemplo veſtro caueatis, ne homines cum magna excellentia, præſtantiaq; reliquorum extracti ex populo populariter viuant: ſiue ne facti hæredes ex aſſe diuinitatis, datiq; in ſortem locupletiſſimam, indigna negligentia ſui abijciant ſe inter mancipia impuriſſima vitiorum. Iſta vos in præſens ſolicitudo vexet: huc omnem animum aduertite; quippè huius rei præ alijs prudentiſſimo conſilio in vnum coacti eſtis. Quod ſi primore aſpectu nihil nunc ſe indicat emendandum: imò nec reapſe fortaſſis eſt; tamen ne iſtius quidem malaciæ ſecuros vos eſſe, iubeo. Timēdum (videte, quid dicam) ſæpè magis eſt à victis, quam à victoribus vitijs. Quæ vincunt vitia, palam illa ſunt. oſtendunt per ſe ipſa vultū, quem nemo non horreat: cuius neminem non pigeat. Sed, quæ vincuntur, ſubdolè agunt. Simulant deſperata cauſa loco cedere, longiſſimè abire; ſed latent interea poſt virtutes: donec occaſione veniente recurrunt audaciùs, impugnant vehementiùs, certiùs expugnāt; atque adeò, quæ triumphata iam fuerant, mutatis partibus de repentè triumphant. Adde illud, quod ſi nullus timor eſſet à vitio: at verò eſt ingens ab eadem ipſa virtute. Nimirum vt iſta profecerit in ſummam, & vſque ad faſtigium euaſerit: tamen niſi diligentiſſimè ſuſtineatur, peſſum abit plus pluſq; in dies, & veluti vinum, aut pictura vetuſtate ipſa ſua fugit.

Sed iſta quorſum ego in præſentia? an de voluntate, de conſtantia, de ſolicitudine veſtra dubio mihi eſſe licet? atqui ne ſomniāti quidem. Tantùm ſors mea me, & iſtuc qualecunque officij, quod iuſſus facio, cogit, apud homines plus ſatis cōſcios pauca iſta in tempore orare. Cæterum noui, quàm optimè vos ad communem omnium, & propriam huius ordinis incolumitatem animati eſtis de veſtro. Hæret ſanè, hærebitq; ſemper infixus animo, qui proximè anteceſſit ſuperior conuentus veſter: nec ſolum lætus, ſed etiam triumphans recolo illos dies, illa acta ſanctiſſimi ſenatus. Quantus enimuerò hinc Eccleſiæ iſti per ſe clariſſimæ ſplendor acceſſit: vt, quæ anteà reliquas ex facili ſuperabat, nunc, quod vnum nec ita facilè relinquebatur, ſe ipſam ſuperet? quæ ex illo reuerentia legum, temperantia morum, veſtri nitor ordinis, templorum decus, maieſtas religionis? tantum incrementum ſi tunc dedit rebus noſtris, vitio conditionis humanæ ruentis ſemper in peius fortaſſe plus iuſto afflictis, vnus ille, idemq; primus labor: quantum per veſtram fidem,

dem,

dem, recipimus daturum iſtum alterum iiſdem rebus iam flo rentibus,iam adultis,iam,ſi ſuperis placet,ſummis? Macti ergò anim: eſtote,authores tantarum laudum, PP.præſtātiſſimi,vos, vos,inquam, Eccleſiæ præclariſſimæ, & maiora, & minora lumina ſub lumine ter omnium maximo, Præſule meritiſſimo, qui tàm liberaliter, copioſeque Neapolitano huic Cælo lucet in præſens, vt,qua totum terrarū orbem illuſtraturus eſt olim, lucis rudimentum ponere videatur. Quanquam, (ſine enim Eminentiſſime, in iſto orationis exitu paucis ego reuerentiſſimus Eminentiam tuam alloquar) ipſum hoc lucis tuę rudimētum plenus meridies eſt. Nam quid in tanta rerum tuarum copia,in tam frequenti,cariſſimoq; conſeſſu tuorum; in hoc ipſo loco, in quo vel iſti muti parietes tam nouè,tam venuſtè,tàm magnificè à te regalem in morem,ac modum exornati,& à ſordibus,in quibus tot ſæcula iacuere, ad ſpeciem hanc auguſtiſſimam non æquiparabili munificentia extructi loquuntur, ipſe iniquus ita,vt ingratus adeò religioſè taceo de te? ſaltem liceat mihi, quam partem laudum tuarum hactenus conſultò pręterij,gratificans ſilentium iſtuc modeſtiæ tuę,compēſare partem hanc ipſam profeſſione beneficiorum,reddens iſtuc quātulumcunque obſequium gratitudini noſtrę. Anne putas immemores nos eorum,quę tibi omni iure debemus? abeſt,& longiſſimè, à nobis tanta obliuio,ne dicam,inſania. Profectò beneficias, quāplurima apud imbecillos, apud tenues, ſed nullum apud ignauos,apud immemores poſuiſti. Vis,numerem ſingula?equidē ſic facerem: ſingula numerarem, niſi ea narratio tibi gratuitò benefacienti moleſta,mihi gratè commemoranti infinita,tempori rebus alijs deſtinato incommoda videretur; pręterquamquod eadem ſuperuacanea foret in tanta luce, ac fama factorum tuorum. Vt maximè velis,non latent, quę tam altus, & à tam alto loco facis: conditionemq; eminentiæ tuæ licet inuitus ad ipſa quoq; facta transfundis. Pates vndecunque glorioſiſſimus: pates omnibus,fortaſſe non tibi, qui nihil in te magnum maximus deprehendis. At ſine cōtrouerſia ſic pates nobis, qui egregia facinora tua non ſuſcipimus modò,ſed etiam amamus. Trūcus certè eſt,ac planè ſtipes,qui non miratur in te raram admodum in viro Principe coniunctionem magnitudinis,& comitatis, quarum vtralibet tanta per ſe eſt, vt nihil ne ipſa quidem ambitio ſublimius,nihil temperantius ne ipſa quidem moderatio deſideret. Ergò quàm facilè ſupplicatum venientes admittimur? quanta eſt infimo cuiuis copia alloquendi te perinde, vt patrem? ſcilicet reueremur faſtigium tuum,non horremus: accedi-

cedimus venerabundi, non territi, diſcentes ex ipſo facto tuo, plurimum intereſſe inter maieſtatem,& ſupercilium,inter magnitudinem,& tumorem,inter felicitatem,& faſtum. Vtinam hoc ipſum diſcerent ex te illi, ad quos ſubiectorum aditus, vel nulli,vel rariſſimi:quiq;bonam partem maieſtatis ducunt, carere commercio; affectantes tanquam ſacræ cæremoniæ venerationem à tenebris, & receſſu. Te contra frequenter ipſi aſpicimus,ſalutamus. ſæpiſſimè tu in luce,atq; oculis omnium, præſertim, quod cariſſimum eſt,in hoc ipſo templo, regia tua, ad cuius aras aſſiduè,ſupra quam quiuis Deceſſor tuus, populo teſte,ac veneratore ſacrificas.Verùm hæc ſuauiſſimi ingenij lenitas non eſt regiminis lentitudo, aut laxitas fori. Humaniſſimus quidem es in homines:ſed in hominum vitia es acerrimus.Hinc leges tuæ vigilant vbique,&,quod caput eſt,apud omnes ſonāt vnam vocem,cum omnibus vna lingua loquuntur. Non excuſat in iudicio tuo crimina facies:non facit innocētem fauor; liberrimus ipſe ſiue ius dicis,ſiue ius ſeruas altiùs reſpiciens, quā priuata tempora,priuatas vtilitates. Sed quàm vellent cariſſimi tui,vt,quam æquitatem erga alios abūdè,erga te ipſum mediocriter exerceres, vt dùm alijs conſulis, tibi etiam, & valetudini conſuleres tuæ. Veniebas ad ſedem iſtam recens à laboribus egregiè tot annos vniuerſæ Eccleſiæ impenſis? num remiſiſti tantiſper animum! num accıſam valetudinem otiatus aliquantulum recreaſti? imò autem cępiſti illico nouam hāc,atq; adeò laborioſam prouinciam perinde,quaſi nullas vires,nullam ętatem inter negotia conſumpſiſſes. Quare ſtatim ab aduentu,curis veriùs,quàm dignitate ſuſceptis,fatigas te, vexas te,neceſſitatibus,temporibuſque tuorum impendis totum te, & nunquā deficiens,nuſquam delaſſatus in ipſo penè labore reficeris.Inter tamen infinita, quæ facis glorioſiſſimè, illud certè non modò commendat, ſed etiam conſecrat famam tuam, digniſſimum ſane,quod de te, quod à me, quod in iſto, quod in totius orbis conſeſſu dicatur. Præſenſiſti iam,opinor, quo tendit admiratio mea,præconium tuum.Videlicet ardorem illum, illud inextinguibile ſtudium loquor, quo malè fœderatas intemperantium nuptiarum tædas cuſtos,vindexq;pudicitiæ reſtinguis. Inueniſti Sponſam tuam per iniquos concubitus vndiq;conſpurcatam: doluiſti:miſeratus es:præſens remedium cogitaſti. Mittis illicò quoquo verſus Angelos tuos viros optimos odoratum fædam colluuiem:iubes nunciare,quam repererint,reperiunt: nunciāt non ſine lacrymis latè debacchari.tu multa in rem tecum deliberas:multa decernis.Eant,perdant perditam nequitiam: libe-

rent

rent ſacro igne oues tuas. Itur:'obſidetur vallata fortiſſimè vetuſtate ſua conſuetudo.Bellum geritur difficillimũ,aſperum, plenum alea:pugnatur tamen acerrimè,& gratificãtibus deſiderio tuo ſuperis,perbreui tempore,quod ſupra fidem eſt,inueterata,valentiſſimèq;radicata libido mille circiter hominum vincitur,triumphatur. Quid ipſe interea? quantus ad hæc triũphus tuus?quàm profuſa lætitia?nam vnam tu lætitiam de tanto ſucceſſu tibi arrogas:laudem operis, cæteraquè omnia Deo tam numeroſæ, arduæq; victoriæ authori vltimo ſincerè reſignas. Tùm, ne qua ex parte eadem victoria vitium faciat, non ignarus,quam citò nebulones iſti redeant ad ingenium ſuum,expergefactos ab inſanis amoribus ducis ſtatim ad honeſtum inter ſe coniugium,atque hos ipſos non ſine magnis tuis ſumptibus,lætus in primis, quod res tua nouo honeſtiſſimæ liberalitatis iure facta eſt ſtipendiaria pudicitiæ.Dies me maturius,quam oratio: & oratio me,quàm tua facta deficerent:excluſus tamen tempore ſermonem abrumpo agens, habenſque immortales gratias Deo O. M. qui nos ſecundum auidiſſima vota noſtra ſubijci tibi:te pro prẹſtãtiſſimo merito tuo moderari nobis voluit.Deus idem faxit imperio ſuo,faxint ſuis precibus Diui omnes tantum bonum firmum,ac proprium,vt florentiſſima iſta,qua hodieq; fruimur,ad longiſſimum tempus te regnante, felicitas perſeueret.

IN

Officiales præſentis Synodi.

Promotor Ioſeph Rodouerius V.I.D.
Secretarius Nicolaus Gilibertus V.I.D. } Metropolitanæ Canonici.

Theologus Franciſcus Guarinus Soc.Ieſu Sacræ Theol. Lector.

Magiſtri Cæremoniarum Agnellus Ricciardone, & Vincentius de Marinis eiuſdem Metropolitanæ Hebdomadarij.

Notarius Vincentius Ayeta in Archiepiſcopali Curia Actor. Magiſt.

Examinatores Synodales.

Mattheus Renzi S.T.D.Secretarius Examinis
Thobias Carolus Campanile S. T. D.
Matthias Guarracinus S.T.D. } Metropolitanæ Canonici.

P.D.Petrus Giſolfus Congregationis Piorum Operar.
D. Franciſcus Staybanus S.T.D.
D. Antonius Venetia S.T.P.Metropolitanæ Parochus.
P.Carolus Lombardus S.T. P. Congregationis Orat.
P.D.Angelus Piſtachius S.T.P.Cleric.Regul. Theat.
P.Ioſeph Imperiale S.T.L.Soc.Ieſu.
P.Franciſcus Guarinus S.T.L.Soc.Ieſu.
P.Nicephorus Sebaſtus S.T.M.Ord. Erem.S.Auguſt.
P.Proſper à Potentia S.T.M. Ord. Conuent.
P.Franciſcus Alphanus S.T.P. Ord S.Mariæ Mercedis.
P.Dionyſius à S.Andrea S.T.P.Carmelitarum Diſcalceatorum.
P.D.Bonifacius Themignus S.T.P.Abbas Oliuetanus.

Iudices Synodales,

Ioannes Baptiſta de Sio V.I.D.
Antonius Tango V.I.D.
Dominicus Aſcione V.I.D.
Hieronymus Balſamo V.I.D.
Nicolaus Gilibertus V.I.D.
Ioſeph Rodouerius V.I.D. } Metropolitanæ Canonici.

Digitized by Google

DECRETA SYNODALIA.

In Nomine Sanctiſsimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

CVM ad gregem Domini diſpergendum, atque ad animas emptas pretio magno, hoc eſt, ſanguine Agni immaculati Chriſti deuorandas aduerſarius noſter Diabolus inceſſanter incumbat, æquum ſanè eſt, vt Nos, quibus à Saluatore omnium ſalus eiuſdem gregis eſt ſpecialiter commiſſa, ſaltem non minus ſolicita vigilantia, & iugi conatu incumbamus, ne in ouile Chriſti leo ille rugiens ingrediatur, & mactet, Eccleſiaſticam diſciplinam in ſęcularem licentiam occulta fraude cõuertens. igitur abuſus quoſdam eliminare cupientes, & ſimul quædam ſalutaria prouidere, de authoritate, ac poteſtate, qua diuina miſeratione fungimur, & valemus, ſequentes ordinationes, conſtitutiones, & in perpetuum valituras leges, Deo adiuuante, condimus, conditarumq; inuiolabilem obſeruantiam omnibus, ad quos attinent, quoſque directè, aut indirectè onerant, iuxta infraſcriptum tenorem, ac formam, quantum poſſumus, in Domino commendamus.

De Prædicatione Verbi Dei.

I.

SAlutare prædicationis munus à quampluribus regularium ordinum hominibus impigrè ſuſcipi, nec non magno cum ardore diuinæ gloriæ, ac zelo ſalutis animarum fructuosè peragi experta, & gauiſa ſemper eſt Mater Eccleſia. Verùm iſtiipſi nouerint in dicto munere ſuam ſe Epiſcopis præſtare operam, eorumdemque in diuina lege annuncianda, Scripturis Sacris exponendis, paſcendiſq; verbo Dei fidelibus eſſe adminiſtros. quapropter maximè decet, & recenti conſtitutione Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ X. anno 1670. emanata cautum eſt, ne ijdem Regulares ad concionandum etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum, vel ad ſermones coram populo habendos accedant, Epiſcopo cõtradicente, aut benedictione ab eodem non petita: quam benedictionem ex eadem conſtitutione petere debent, etiamſi in oratorijs quibuſcunq; ſui ordinis coram populo, vel in Eccleſijs, aut ad crates Monaſteriorum ſanctimonialium eorum iuriſdictioni ſubiectarũ, licet clauſis ianuis, & nullus ſęcularis ibi interſit, habere voluerint.

Non

Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium negotijs præterita iſtas ad Nos Litteras miſit.

Eminentiſs.e Reuerendiſs. Sig. mio Oſſeruandiſs.

Eſſendoſi inteſo, che molti Confeſſionali delle Chieſe di coteſta Città, e Dioceſi, ſono poſti in luoghi così oſcuri, e remoti, che ben ſpeſſo poſſono dare occaſione di graui ſcandali,& inconuenienti,mi hanno perciò queſti Eminentiſſimi miei Signori ordinato di ſcriuere à V.Em.che ſi compiaccia di publicare vn' Editto da oſſeruarſi ſotto graui pene,che li Confeſſionali nelle Chieſe tanto Secolari, quanto Regolari ſi tenghino in luogo patente,e chiaro, & in conſpetto d'ognuno, affinche il Penitente, & il Confeſſore poſſino eſſere veduti da tutti,e trà l'vno, e l'altro di loro vi ſia vna Tauola con vna ſola feneſtrella ſerrata con vna Piaſtra di ferro forata; e che in altra maniera non ſia lecito di ſentire le confeſſioni; e che quelle delle Donne non poſſino eſſer ſentite ne auanti il naſcere, ne doppo il tramontare del Sole. La Sacra Congregatione ſi perſuade certamente, ch'ella non tralaſciarà intorno à ciò di fare le parti del ſuo ſingolare zelo,ond'io reſto con baciare à V.Emin. humilmente le mani. Roma,&c.

Di V.Em.

Humiliſs.& affettionatiſs.ſeru.
Franc.Mar.Card.Brancaccio.
C.de V.Arciu.d'Ate.

QVarum obſeruantiam Nos, vt par eſt, impensè curantes, edicimus, & mandamus, vt quicunque à Nobis approbati, & approbandi etiam Regulares, alioue modo exempti fidelium confeſſiones excepturi deinceps ſunt, ſub pœna ſuſpẽſionis ab iiſdem confeſſionibus, ab eo illas loco excipiant, vndè tam ipſi, quàm pœnitentes omnibus pateant; propterea iubemus ſtatim poſt huius mandati noſtri publicationem remoueri, quæ alicubi ſunt, confeſſionalia à ſacellis, alijſue minus patentibus,ac ſecretis locis.Inſuper ſub eadem pœna ſuſpenſionis iubemus confeſſiones tantùm à cratibus confeſſionarij in Eccleſijs audiri,atque adeo mutuum pœnitentium ante ſacerdotem genuflexorum aſpectum vitari: illas vero, quæ ſunt fœminarum, neque ante ortum,neque poſt occaſum Solis excipi:vt ne ex aliqua etiam remota cauſa vituperetur tam ſalutare miniſterium, & vt (quod maximè decet) confeſſarij noſtri omnibus, & vbique bonus Chriſti odor ſint.

De

De celebratione Miſſarum.

MAgnopere intereſt ſacris initiatos cum omni, quoad fieri poteſt, animi præparatione, ac nitore primitias ſuas Deo totius bonitatis, ac ſanctitatis fonti dignanter offerre. idcircò alias in Synodo præcepimus, vt ante primam celebrationem quiuis ordinatorum vacet octo, aut decem dies ſpiritualibus exercitijs: quam conſtitutionem quia Deo iuuante non ſine vberrimo deuotionis fructu deductam iam eſſe in praxim cum ingenti in Domino gaudio noſtro deprehendimus, volumus manere firmiſſimam; eoque ne futuris temporibus contingat ſubterfugere aliquos tam piam, & laudabilē diſpoſitionem ementitis teſtimonijs peractorum alicubi exercitiorum, mandamus, vt ſinguli, qui ad hæc peragenda tenentur, niſi aliter à Nobis diſpenſatum ijs fuerit, exerceant ſe ſpiritualiter apud Patres Miſſionarios in Virginum ſuburbio pro tempore habitantes: indeque teſtimonium ferant, quòd ibi ſic ſe conuenienter, & fructuosè exercuerint. aliter ad celebrationem primę miſsę nō admittantur.

De Caſibus reſeruatis.

EX caſibus reſeruatis, quibus non eſt annexa excommunicatio, quartus de Confeſſarijs ad obſcęna perſonas ſibi confitentes licet non immediatè poſt confeſſionem ſolicitantibus, intelligi debet illos dumtaxat confeſſarios comprehēdere, qui id egerint occaſione ex ipſa cōfeſſione accepta, aut illas perſonas ſolicitauerint, quæ frequenter, vel vt plurimum cum ipſis ſoleant confiteri.

De Muſico Cantu.

SYnodo ſuperiore decenti Eccleſiarum ſeruitio prouiſuri omnino vetuimus, homines in publicis actionibus hiſtrionicam exercētes, aut quomodolibet in his ipſis actionibus hiſtrionum more canentes, in Eccleſijs inter eccleſiaſticas functiones cane-

re

NOn abſimilis ratio reuerentiæ, & honoris erga loci Ordinarium poſtulat, vt ipſi quoque alieni Epiſcopi, ſi in Eccleſijs Regularium prædicare voluerint, licentiam ab Epiſcopo proprio petant. quam ob rem Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini interpretum ad dubium prædicationis, an ſcilicet in Eccleſijs Regularium poſſint alieni Epiſcopi prædicare abſque Ordinarij licentia, in Neapolitana die 12. Iulij anno 1671. ad Nos tranſmiſſa, reſpondit negatiuè.

De Repræſentationibus Sacris.

ALiàs vetitum perſonis quibuſcunque fuit, ſacras actiones non obtenta priùs in ſcriptis noſtra, aut Vicarij noſtri generalis licentia repræſentare. Nunc verò vt debitus honor iiſdē actionibus ex omni parte habeatur, ſciant publici hiſtriones, & Comædi ſtrictiore id ipſis iure vetari; itaut ab huiuſmodi licentijs quomodocunque, & ob quamcunque cauſam in poſterum obtinendis ſemper intelligantur excepti tam ipſi, quàm locus, in quo iidem ipſi per annum recitare publicè ſolent.

De Feſtis diebus.

FEſtiuitates Sanctorum etiam Patronorum, aut Titularium celebrari debent proprijs diebus, nec pro libito, & ſine licentia transferri in alium diem ſecūdùm rubricas impeditum. cumque præterea celebratur feſtum Sancti, aut Beati, cuius altare tantùm eſt in Eccleſia, non licet id agere illis diebus priuilegiatis, quibus ſolum de Patronis principalibus, aut Eccleſiæ totius Titulari feſtum celebrari permittitur: quas rubricarum leges, cum in quibuſdam Eccleſijs impunè, & ad earūdem Eccleſiarum magiſtratuum voluntatem negligi paſſim reſciuerimus, diſtrictè id in poſterum attentari vetamus, inobedientes pro qualitate contumaciæ ad noſtrum arbitrium mulctaturi.

De Quadrageſimalis ieiunij obſeruatione.

LIcet ægrotantibus, maleq; corpore affectis præceptum quadrageſimale non veſcendi carnibus, & ieiunandi relaxare pia Mater Eccleſia benigniter conſueuit; tamen eſt intoleranda

Digitized by Google

quorumdam facilitas petendi diſpēſationem ab eiuſmodi præcepto ob quamcunque vel leuiſſimam remotæ ægritudinis ſuſpicionem; cum interea ijdem iſti, vt ſeculi deſideria, prauaſque ſui cordis voluntates expleant, longè maiora, quàm ſint à ieiunio damna, vltro tolerare conſueuerint. tantæ verò laxitati occaſionem dat magnam laxitas maxima medicorum, qui de fide valetudinis requiſiti, eam cuicunque, & ob quamcunque cauſam facillimè exhibent. idcircò Nos debitam hìc moderationem exoptantes, monemus ſpeciatim iſtos ipſos, vt in hac re deinceps multò conſideratiùs agant, difficileſq; ſe præſtent ad excuſandum à præcepto. ſaltem, vbi neceſſitas poſtulet, incipiant à leuioribus: &, ſi ſatis eſt indulgere lacticinia, nō permittant carnes. quòd ſi in re tam graui deſides, ac parum conſiderati fuerint, ſuas ipſi maximè conſcientias illaqueabunt, & ante tremendum ſummi Iudicis tribunal totius tranſgreſſionis reos principales ſe eſſe cognoſcent.

De Sacramentis.

I.

IN proxima à Nobis celebrata ſynodo Parochis noſtris ſeriò mandauimus, vt quas habent intra fines ſuæ Parochiæ obſtetrices, plenè edoceant de conſueta materia, & forma Sacramenti Baptiſmi, vt naſcentium paruulorum periculis adeſse eædem in tempore poſſint. verùm quia poſt hoc quoque mandatum noſtrum experti Nos ipſi ſumus, adhuc ex iſtiuſmodi fœminis aliquas ignorare requiſita ad miniſtrādum validè hoc tam neceſſarium Sacramentum, denuò iiſdem Parochis iniungimus, & mandamus, vt pro debito ipſorum zelo, & officio inuigilent tanto defectui, curentque omnino, vt ipſis conſtet de ſufficientia talium fœminarum, grauiter onerantes ipſorum conſcientiam, ſi fortè contigerit aliquem ex paruulis iſtis vita periclitantibus in æternæ ſalutis præiudicium inualidè ablui, & morientem certam damnationem, viuentem certum damnationis periculum ex aliena negligentia ſubire.

Sacra

re ſub interminatione Excõmunicationis pro huiuſmodi cantoribus ipſo facto incurrendæ: quod conuenientiſſimum ſtatutum manere magis firmum, & omni contrariæ licentiæ aditum intercludere volentes, prædictæ excommunicationis pœnam in iiſdem terminis extendimus ad quoſcumque alios honeſtos muſicos, cum his ipſis comædiarum actoribus in quauis Eccleſia licet exempta cãnere præſumentes.

De reuerentia Eccleſijs, & rebus Sacris debita.

I.

COmmẽdamus, & quo maiore poſſumus ſtudio, cũctis Chriſti fidelibus inculcamus, vt exhibeant debitum honorem, ac reuerentiam locis illis, in quibus Deus ipſe ſua maieſtate inhabitat, & Angeli cum timore, ac tremore ſacroſanctum Chriſti Domini corpus proſtrati humillimè adorant. Sed emendandum inter cætera illud maximè irreuerentiæ genus eſt, quod intra ipſas Eccleſias, etiam expoſito quandoque venerabili Sacramento, aqua, vt fieri ſolet per publicas vias, irreuerentiſſimè venditur, & potatur; proindè ſub pęnis ad arbitrium noſtrum ſeriò præcipimus ęditnis, cęteriſquè Eccleſiarum cuſtodibus, vt iſtos, & quoſcumque alios aliarum rerum etiam ad pios vſus, vt ſanctarum imaginum, roſariorum, ſcapularium, & ſimilium venditores, exemplo Saluatoris Noſtri, à templis eijciant, doceantque ipſos talia in his locis vendentes incidere in maiorem excõmunicationem ipſo facto, prout virtute huius decreti incidere eos volumus, & declaramus.

II.

AD còercendam flagitioſorum hominum veſaniam pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & reſeruatæ Nobis animaduertimus iam olim in illos, qui, dum venerabile Sacramentum expoſitum in altari eſt, intra ipſam Eccleſiam, aut ipſius Eccleſiæ atria tumultus, clamoſaſque rixas agunt, vel alios quomodolibet ibidem grauiter offẽdunt. Nunc autem volentes magis, ac magis debitam reuerentiam conſeruare his Dei domibus, quarum è contrario dignitatem indiſciplinati homines conculcare ſuis frequenter exceſſibus nõ verentur, eandem excõmunicationem præſenti decreto ampliamus ad illos quoque, qui, & ſi nõ ſit expoſita ſacra hoſtia, præfatas irreuerẽtias,

gra-

Digitized by Google

graueſque iniurias admittendi eos præcipuè moleſtantes, aut quomodolibet offendentes, qui ad eaſdem Eccleſias patrocinij cauſa confugerint.

III.

SOlent in maiori hebdomada laicorum aliqui tēpla circumire induti alba. hanc autē ex ijs eſſe, quos Sacerdotes,alijuè ſacri miniſtri in miſſæ ſacrificio geſtauerint, multum dedecet. præcipimus ergò æditituis omnibus, alijſque, in quorum dominio, aut cuſtodia ſunt hæ ſacræ veſtes, ne eas commodent, aut alio quouis modo dent geſtandas ad prædictum vſum a laicis ſub pęnis noſtro arbitrio reſeruatis; qui verò eas contra hanc ordinationem acceptas geſtauerint, ſint ipſo iure excommunicati.

IV.

ACcepimus quoſdam tenebrarum, & mortis filios eo tempore, quo myſteria ſanctæ hebdomadæ peraguntur,huius ipſius temporis, & chriſtianæ pietatis oblitos pęnitentiæ habitum ludicrè, & ad pompam per vrbem gerere; non munditiam ſolum, ſed elegantiam, luxum, vaniſſimaſque veſtium vanitates quærentes in cilitio. Nos iuſtiſſimæ offenſioni fidelium occurrere pro noſtri muneris debito ſatagentes, ac deteſtantes tantam peruerſorum hominum impudentiam, in virtute præſentis decreti ſtatuimus,vt ſi qui in poſterum prædictis hæbdomadæ ſāctæ diebus geſtauerint publicè habitus huiuſmodi pœnitentium, præterquam, vt alibi præſcriptū eſt, modeſtos, ſimplices, nihil prorſus ornatos,& quales demum deceant inuiſuros Dominum tam humiliter pro nobis paſſum, & illo tam ſacroſancto tempore repræſentatione ſepultum, incurrant eo ipſo maiorem excommunicationem.

De Proceſſionibus.

I.

CVm ſacræ proceſſiones pro bono publico, & de ordinatione noſtra indicuntur, ex ijs, qui cęteroqui de communi iure accedere tenentur, accedere quidam recuſant. Sciant huiuſmodi recuſantes, & inobedientes, nō obſtantibus quibuſcūque inhibitionibus, aliaue ipſorum exemptione poſſe nos contra

contra

tra ipſos procedere iuxta declarationem Sacræ Rituum Congregationis inhærentis ordinationibus ſuper hac eadē re prius editis, Nobiſque in vna Neapolitana die 24. Nouembris 1668. nouiſſimè ſignificatis.

II.

CVm in cœna Domini ſacratiſſimum Chriſti corpus de more ad ſepulchrum fertur, alicubi extra Eccleſiam proceſſionem fieri cognouimus: quod Sacra Congregatio ſuper negotia Epiſcoporum die ſexta Auguſti 1591. multo ante vetuit: cui diſpoſitioni Nos, vt par eſt, inhærentes ſub interdicti pœna eiuſmodi proceſſiones extra Eccleſiam, etſi circa Eccleſiæ ambitum, fieri vetamus.

De Funeribus, & Exequijs.

I.

AD efferendum per vrbem defuncti corpus, & ad reliqua funeralia celebranda de iure antiquo, & noſtro requiritur proprij Parochi cum parochiali Cruce aſſiſtentia: niſi forte comitetur exequias Capitulum noſtræ Metropolitanæ. ad pleniorem huius decreti obſeruantiam inſuper decernimus, vt nō ſolum preſbyteri contra facientes, & defuncti corpus, abſente, vt ſupra, proprio Parocho, per vrbem efferentes, aut reliqua funeralia celebrantes incurrant pęnam aliàs ſtatutam ſolutionis centum aureorum in pios vſus, ſed vt ipſæ Eccleſiæ quæcunque, atque adeo etiam Regularium, quæ corpus contra hanc ordinationem elatum receperint, interdicto ſupponātur.

II.

QVi pro funeralibus peragendis confratrum loco ex neceſſitate, aut alio iuſto titulo ſubſtituētur; ſint pro Presbyteris Presbyteri, pro Clericis ſaltem Clerici ſubſtituti: aliter cellarij aliique, ad quos ſpectat admittere huiuſmodi ſubrogatos, incurrant pœnam ducatorum ſex in pios vſus. inſuper ſub eadem pœna prohibemus confratres legitimè ſubſtituentes, aut quouis alio modo ab obligatione ducendi exequias exemptos eo ipſo tempore quo in ipſorum parochia exequiæ ducuntur iiſdem, aut aliis ſcienter pro adiumēto intereſſe; nihil enim ipſis

C in

in iſto caſu impetratam exemptionem ſuffragari volumus, & declaramus.

III.

IVs funerandi decedentes abſque electione ſepulturæ ad noſtræ Cathedralis Capitulũ ſpectat ab immemorabili. Si quis ergo Parochus, aut Cellararius, ſine licentia Cellararii Sanctæ Reſtitutæ ſepelire hos ipſos præſumpſerit, toties, quoties id fecerit, ſoluat piis vſibus quinquaginta libras factæ ceræ, & ordinaria iura funeris prædicto Capitulo noſtro.

IV.

PRo humandis fidelium corporibus in ſepulturis illis, in quibus terra ſancta habetur, ſolent alicubi exorbitantes ſummæ extorqueri, quod & pietati, & iuſtitiæ multùm aduerſatur. ſtatuimus ergo, atque decernimus, ne quidpiam in poſterum vltra ducatos duos pro tali ſepultura recipiatur ſub pœna localis interdicti pro exemptis, & pro non exemptis librarum 50. elaboratæ ceræ. Volumus etiam, vt quod in Abbatia noſtra Sancti Archangeli, & in aliqua alia parochiali Eccleſia ab antiquo ſeruatur, ſeruetur etiam in quauis alia, vt nimirum pro corpore intra loculum humando, ſi defunctus duodennis, aut amplius fuerat, decem caroleni; ſi duodecimum annum nondum attigerat, quinque in ius ſepulturæ ſoluantur ſub eadem vt ſupra pœna.

De Parochis eorumque Iuribus.

I.

PArochi de teſtimonio ſeruitii à promouendis ad vlteriorem ordinem requiſiti, nõ exhibeant illud iis qui verè, & actualiter aſſignatis Eccleſiis non inſeruiunt; aliter ſi in hoc munere parum fideliter ſe geſſerint, arbitrio noſtro puniantur.

II.

REligioſa fidelium deuotio curare conſueuit, vt Sabbati Sãcti die, aut circa hoc tempus occaſione Paſchatis ipſorum domus contra ſpirituales inuiſibilium hoſtium nequitias aqua bene-

benedicta aſpergantur. Sacra Congreg. die quarta Iulij 1620. cenſuit, proprium hoc Parochorum eſſe, vetuitq; vllum alium ex ſeculari, aut regulari Clero id ipſum præſtare. Qui ergo præfato tempore domos, vt ſupra, benedicere præſumant, nouerint ſe ab executione ſuorum ordinum eſſe ſuſpenſos.

De vita, & honeſtate Clericorum.

AD honeſtam Cleri vitam maximè confert, vt qui ex tali ordine ſui gradus obliti peruersè agere præſumpſerit, à proprio Superiore in aliorum exemplum, & ſuam ipſorum emendationem liberè puniantur. cùm igitur non ſint aliquando defuturi, qui eccleſiaſticas dignitates, & præeminētias ideo expetant, vt ſub ipſarum vmbra expeditum ſui Prælati iudiciū, liberamque ſententiam valeant declinare: Sacra Congregatio Concilij die 14. Martij anno 1671. auditis ijs, quæ pro parte Capituli Neapolitani fuerūt allegata, præſertim circa illius exemptionem, vt in cauſis capitularium ſuorum procedere teneremur cum Adiunctis ad formam capitis 6. ſeſſ. 25. de reformatione, & hactenus deductis ſtatuit, atque decreuit, Archiepiſcopum Neapolitanum poſſe in dictis cauſis procedere ſine Adiunctis.

De Regularibus, & exemptis.

I.

MVltoties ſynodali cōſtitutione ſancitum fuit, ne myſteria maioris hebdomadæ alibi, quam in Eccleſijs, in quibus ſanctiſſimam Euchariſtiam aſſeruari permittitur, peragantur. hoc non obſtante, tam laudabile decretum pluribus in locis Regularium ſiue ex culpa, ſiue ex ignorantia violatum hactenus eſt: quod vbi demum Sacra Rituum Congregatio reſciuit, damnans in re tam graui tantam inobedientiam, prædictam ſynodalem conſtitutionem, pœnaſque in tranſgreſſores ibidem contentas die 8. Iunij 1669. omnino confirmauit, & ſua inſuper ſententia tenore ſequentium roborauit.

Cum ad aures Eminentiſsimorum ſacræ Rituum Cōgregationi præpoſitorum deuenerit, in quampluribus Oratorijs nuncupatis congregationibus poſitis intra clauſtra, & ambitus Conuentuum Regularium diuerſorum ordinum iſtius Ciuitatis Neapolis, in quibus diuerſæ Confraternitates laicorum in eis erectæ congregantur, preces Deo offerunt, aliaque pia exercitia ad præſcriptum ſuarum cōſtitutionum peragunt, fieri ſepulchra

feria quinta in Cœna Domini,& conſecratam hoſtiam à pijs Chriſti fidelibus adorandam reponi contra decretum Synodale, ad huiuſmodi abuſus eliminandos vltimo loco editum: Vt in poſterum in ijs dumtaxat Eccleſiis ſe ulchra permitterentur, in quibus ſanctiſsima Eucharistia aſſeruatur; ideò eadem. Sacra Congregatio ad præfatos abuſus penitùs extirpandos declarauit, non licere in prædictis Oratorijs ſepulchra facere,& propterea per Eminentiſsimum Archiepiſcopum etiam authoritate ipſius ſacræ Congregationis, quatenus opus ſit Regularibus,& Confratribus prædictis eſſe interdicenda, & præfatum decretum ſynodale etiam quoad ipſos Regulares,& Confratres ſeruandum eſſe.

I I.

Circa expoſitionem venerabilis Sacramenti ille improbandus mos viget, vt Regulares publicè pro libito exponant abſque noſtra licentia,& approbatione: quam tamen licētiam, & approbationem requiri neceſſariò in Synodo proximè celebrata ſub titulo de Euchariſtia in primo decreto inſinuatum eſt. Sed nunc id ipſum Sacra Congregatio Concilij declarauit, inhærendo ijs, quæ multò ante ſuper hac eadem re fuerunt expreſsè decreta in Neapolitana ſub die 17. Auguſti 1630. ſequētis tenoris.

Non licere Regularibus etiam in eorum proprijs Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicè adorādum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; ex cauſa autem priuata poſſe, dummodò Sanctiſſimum Sacramentum è tabernaculo non extrahatur,& ſit velatum; itaut ipſa ſacra hoſtia videri non poſſit.

I I I.

Acceſſus Regularium ad Monaſteria Monialium authoritate, ac decretis Sacræ Congregationis Concilij vetitus ante hac ſufficienter fuit; attamen cum in hac noſtra Ciuitate quorundam opinionibus, ſeù magis tergiuerſationibus lex tam ſancta,& neceſſaria concuti, ac ſenſim labefactari cæpiſſet; eadem Sacra Congregatio Regulari obſeruantiæ ſedulò inuigilans, exiſtimauit ſuarum partium eſſe vrgentioribus decretis huic adoleſcenti morbo obuiam ire, & exceſſus omnes in re tam graui, tamque ſcandalo proxima coercere. Idcircò ſequētem declarationem à Sanctiſſimo Domino noſtro deinde approbatam edidit,& inferius exemplum ad Nos tranſmiſit.

De-

Declaratio Sacræ Congregationis Concilij Tridentini à Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa IX. approbata ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium.

DIe 11. Maij 1669. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Sanctæ R. Eccleſiæ Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, habita notitia, quod nonnulli Regulares abſque licentia crates Monaſteriorũ Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non eſſe interdictum per breue tempus, etiam vſque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliaſque perſonas intra clauſuram exiſtentes alloqui, & hanc opinionem tanquam tutã affirment, diſſeminent, & forſan etiam ſcriptis euulgent, proprias, grauiter illaqueantes conſcientias, & ſcandala conſouentes; ad huiuſmodi pernicioſos errores eliminandos, opinionem prædictam improbans, reijciens, ac damnans declarauit Regulares cuiuſcumque ordinis, militiæ, Societatis, Congregationis, & inſtituti, etiam de quibus ſpecialis mentio foret habẽda, qui ad monaſteria monialium, quamuis ab Ordinarij iuriſdictione quomodolibet exempta, & etiam ipſis Regularibus ſubiecta, vel aliàs ſpeciali mentione digna abſq; legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium cum Monialibus, aut alijs intra clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, alijſque contra Regulares accedentes ſine licentia ad Monaſteria Monialium ſtatutis pœnis poſſe ab Ordinario tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato coerceri. Et die 7. Iunij eiuſdem anni facta relatione Sanctiſſimo Domino noſtro, Sanctitas ſua præſentem declarationem approbauit, ac typis dari, ſeruarique iuſſit.

Porrò eadem Sacra Congregatio die 16. Nouembris eiuſdẽ anni 1669. ſpecialiùs declarauit punitionem Regularium in prædictæ declarationis tranſgreſſione deprehenſorum ad Nos pleniſſimè pertinere.

IV.

PAucis ab hinc annis exorta controuerſia eſt inter Clerum huius Metropolitanæ Eccleſiæ, & promotorem fiſcalem eiuſdem Curiæ ex vna, & Fratres Minores Strictioris obſeruã-

tiæ

tiæ Ordinis S.Franciſci gubernio Monialium Sanctæ Claræ dictæ Ciuitatis aſſiſtentes ex altera parte de iure thurificandi Sanctiſſimam Euchariſtiam in proceſſione Corporis Chriſti: in qua cauſa Sacra Congregatio die 24. Aprilis anno 1671. ſequens decretum edidit, & ſub pœnis in hoc ipſo decreto contentis ſeruari mandauit.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, auditis relationibus Eminentiſſimi Archiepiſcopi Neapolitani, & Nuncij Apoſtolici ibidem reſidentis, reque maturè perpenſa, referente Eminentiſſimo Carpineo Sanctiſſimi Domini noſtri prodatario, cenſuit non competere dictis fratribus in proceſſione Corporis Chriſti ius thurificandi auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, niſi in loco, vbi dicitur, Delli banchi noui, & non alibi: & contra facientes puniendos eſſe pæna priuationis vocis actiuæ, & paſsiuæ, alijſque arbitrio eiuſdem Sacræ Congregationis.

De Monialibus.

QVantò honeſtiorem locum in Eccleſia ſancta occupant Sacræ virgines, vitam parem Angelicæ intra corpus mortis huius in terris agentes: tantò acrior eſt in hanc ipſam Dominici agri partem antiqui Serpentis impetus, ac proinde vigilantior cura noſtra, ne hortos iſtos concluſos, paradiſos voluptatis, & delicias diuini ſponſi ingrediatur peſtilens ille draco, qui venenato ſuo habitu delicata iſthæc germina arefaciat. Idcircò animaduertentes emanatas alijs temporibus ordinationes noſtras, aut prædeceſſorum noſtrorum humanæ fragilitatis vitio paulatim laxari, & varijs malè opinantium ſubterfugijs eludi, recenti edicto noſtro die 27. Octobris anni proximè elapſi edito, quæ iam anteà pro conuenienti ſanctimonialium inſtitutione, & religioſa earundem in Domino conuerſatione decreta fuerunt, magis declarauimus, & in quantum opus fuit, paucis pro rei neceſſitate additis, vrgentiori iure roborauimus: quorũ obſeruantiam integram, perfectamque iterum nunc iiſdem Monialibus pro noſtro erga Dei gloriam, & ipſarum in Chriſto dilectarum filiarum vtilitatem ſtudio, quoad eius fieri poteſt arctiſſimè commendamus.

De